

culmum avenaceum crassitie vix æquantibus, brevibus, in innumeras capillaceas fibras repente sparsis, ut totam ollam cæspitis instar repleat. Augusto & Septembri floret, & siliquas mox libere profert & maturat, quæ (figura secunda) fusiformes sunt, & denticulis hinc inde prominentibus asperatæ & veluti spinosæ.

Horti Elthamensis a pluribus annis alumna fuit, præcedenti vero anno 1730. e Batavia eadem planta transmissa fuit, nomine Apocyni Americani, Canadensis Cornutiani simili folio glabriore, flore umbellato aurantio *Boerb. Ind. Alt. p. 314. n. 17.* ubi quæritur, an sit Apocynum Curassavicum seu Americanum, fibrosa radice, floribus aurantiis, Chamænerii foliis latioribus *Herm. Par. Bat. p. 36.* de quo dubito, quoniam siliquæ illius læves sunt, & prominentiis spinosis destitutæ in planta sicca Phytophylacii Sherardini: folia etiam subtus magis canescentia videntur. Dubito etiam an huc referri queat, Apocynum erectum, folio oblongo, flore umbellato, petalis coccineis reflexis *Sloan. Cat. Jam. p. 89. Hist. Jam. Vol. I. p. 206. Tab. 129 fig. 4. 5.* quoniam illius caules quadrangulares, radices vero firmiores & longiores dicuntur.

*APOCYNUM NOVÆ ANGLIÆ SUBHIRSUTUM,  
TUBEROSA RADICE, FLORIBUS AURANTIIS HERM.*

HORT. LUGD. BAT. APP. P. 646. T. XXX. F. 34.

**E**LEGANTISSIMI hujus Apocyni figuram, cum ipsi Hermanno, quam dedit in Horto Lugd. Bat. displicuerit, & aliam meliorem ideo Paradisi Bat. Vol. secundo, prout ex Catalogo ei annexo constare poterit, inferendam fieri curaverit, ad vivum designatam hic exhibere volui.

Caules dodrantaes & pedales hirsuti sunt, teretes, obscure rufi: folia, quod peculiare, alterno ordine disponuntur, præterquam in superiore caulium parte; etenim subter divaricationem bina, ad ipsam vero divaricationem quaterna plerumque nascuntur, & non raro bina illa deficient.

Caules autem in superiori parte in ramulos abeunt repandos, quibus folia denuo alterna serie adnascuntur, & e foliorum alis sub ætatis finem pediculi surgunt plures, flores in privatis pediculis umbellatim dispositos gerentes, coloris amœne crocei, nempe tam petalis, quam corniculis, eodem colore tinctis. Ceterum capitula antequam aperiuntur, immo ipsi flores & cornicula tubulosa, quam præcedentis speciei, longiora sunt, ligulæ autem seu stamina magis acuta columnæ superstant, nec tam arcte incumbunt. Hæc seorsum in margine, nempe figura prima flos, secunda & tertia cornicula, quarta columna appicta sunt.

Plura qui desiderat, adeat Hortum Lugd. Bat. ubi Hermannus testatur, siliquas sibi nondum observatas, quas & mihi videre nondum contigit, nec in planta vivente, nec in mortua, nempe exemplaribus ficcatis, quæ plura habemus. Meretur autem res observationem, cum ob foliorum nascendi morem, vel in siliquis vel seminibus, differentia quid subesse videatur.

Apocynum minus non lactescens, caule & foliis hirsutis, floribus saturate luteis *Banist. Raj. Hist. Plant. Tom. II. App. p. 1926.* similem habet nascendi morem, folia autem, quam nostri, longiora & multo latiora sunt, ut idem nostro censeriqueat,



queat, & porro alia est species in Phytophylacio Sherardino e Carolina delata, cum floribus croceis & foliis alternatim nascentibus, perangustis, Rosmarino non latioribus, ab utroque diversa, quæ eadem videtur, Apocyno erecto minimo angustifolio Americano, flore umbellato aurantio, petalis reflexis *Breyn. Prodr. Sec. p. 15.*

Ceterum hujus speciei synonyma facit Herm. in Hort. Lugd. Bat. Apocynum Canadense angustifolium, flore aurantio *Moris. Hort. R. Bles. & Præl. Bot. p. 232.* & in Par. Bat. p. 35. huc refert, Apocynum erectum minus latifolium Americanum, flore umbellato aurantio, petalis reflexis, radice tuberosa *Breyn. Prodr. Sec. p. 15.* sequutus ipsum Breynium, cujus nomen alias melius Banisteriano quadraret. In *Pein. Hort. Bos. A. 1705.* & seqq. dicitur, Apocynum Americanum flore aurantio.

*ARBUSCULA AFRA, FOLIO ACULEATO I-LICIS, CAULEM AMPLEXO, RIGIDO BOERH. IND. ALT. PART. II. P. CCLXIII. T. XXXI. F. 35.*

**B**IPEDALES & tripedales hujus in Horto Elthamensi sunt arbusculæ, caudice digitali lignoso, inæquali & naturaliter tortuoso, cortice lævi spadiceo, rimoso, & per lamellas lacinosas abscedente, vestito, e quo alterno ordine plures nascuntur rami, inferiori parte lignosi & spadicei, superiori virentes & herbacei, similiter incurvi seu tortuosi, quibus brevibus intervallis folia adnascuntur glauca, (præsertim inferiori parte) per margines dentata & aculeata, pediculis carentia, rigida, glabra, venis longitudinalibus tenuibus pallidis exarata, e quorum alis Julio mense capitula nascuntur subrotunda, sessilia, seu pediculis destituta, ab initio virentia, dein, ubi explicantur, ex herbaceo flavicantia, in tria subrotunda, plana, rigida foliola, quæ calyx, ad basim usque dehiscentia. Stamina e centro horum foliolorum nascuntur plurima, candida, tenuia, apicibus crassiusculis, farinam multam flavam fundentibus, terminata:

Stylus & embryo plane desunt, & in alia procul dubio nascuntur planta, quæ nobis nondum inspecta, unde, cum fructus non visus sit, genus, quod ab aliis usu receptis distinctum videtur, determinare non possumus. Ceterum flores cum calyce figura prima & secunda seorsum incisi sunt.

*ARBUSCULA AFRICANA REPENS, FOLIO AD LATERA CRISPO, AD POLYGONA RELATA; ALIIS BISTORTA BOERH. IND. ALT. PART. II. P. CCLXIII. T. XXXII. F. 36.*

**Q**UAMVIS læte vigeat & flores quotannis proferat hæc planta, semina tamen ad maturitatem nondum perduxit, ut de ejus genere asserendo dubius adhuc sim. Fruticulus est, ni pedamento alligetur, procumbens, caulibus lignosis, lentis, culmum & amplius crassis, ad cubitalem & bicubitalem longitudinem crescentibus, cortice vestitis nonnihil rimoso, e spadiceo cinereo, rami au-  
tem





*Arbuscula Afra folio aculeato glabris, caulem  
 amplexo rigido Boerh.*



37

F36.

T. XXXII.



*Arbuseula Asi: re-  
pens, folio ad latera  
crispo. ad Polygona  
relata &c Boerh.*



tem, qui alternatim enascuntur, superiora versus virent, in quibus folia alterna ferie nascuntur Polygono similia, ad margines undata & crispa, nullis venis conspicuis, præter nervum medium, qui & superficialis est, donata, quorum basi, ex contraria parte, ligula membranacea caulem cingens, modo simplex, modo bifida, adnascitur, ut in *Perficaria* & *Polygono* solet fieri.

Flos est apetalos, e calyce herbaceo monophyllo, non deciduo, in quatuor segmenta ad basim usque diviso, & staminibus sex, parte inferiore latioribus, superiore angustioribus, totidem apices gerentibus, constructus. Flores tres quatuorve e communi theca membranacea squamosa ad foliorum alas nascuntur, in spicam digesti, qui licet tota hyeme (quamvis aridi) persisterint, nulla tamen in iis semina, sed embryones tantum abortivos compressos, & stylum brevem bifidum animadvertere potui.

Accedit foliis, geniculis & nascendi modo, magis ad *Polygonum*, quam vel *Bifortam*, vel *Perficariam*, nec si semen respondeat, eo referre dubitarim, quamvis calyx in quatuor tantum partes dividatur.

Media æstate florere solet. Patriam nomen indicat; Promontorium autem *Bonæ Spei* speciatim indigitari autumo.

*ARTEMISIA PROCERIOR, FOLIIS ET CAPITULIS TENUIBUS T. XXXIII. F. 37.*

**I**NTRICATUS & incertus hætenus fuit character *Abfinthii*, *Abrotani* & *Artemisæ*. De iis ita statuit *Vaillant Comm. Ac. R. Sc. A. 1719. p. 282.* nempe quod *Abfinthium* obtineat capitula rotundiora, hemisphærica, calycem squamosum, flores spicatum digestos, e pediculo brevi pendulos: *Artemisiam* ab hoc distinguit, calyce squamoso longiore, capitulis modo ellipticis, vel ovalibus in quibusdam speciebus, modo conicis vel pyriformibus, modo cylindræis in aliis speciebus: Hac ratione *Abrotani* genus, cum notæ intermediæ claræ non occurrant, delet, & species ejus vel *Abfinthii*, vel *Artemisæ* generibus annumerat, idque ex florum & calycis figura recte. Quibus notis addi potest, *Abfinthio* discum magis planum, æqualem & veluti resectum esse, calycisve squamas invicem prope æquales esse.

*Pontedera Differt. Bot. IX. p. 222.* *Abfinthio thalamum villosum*, *Abrotanis* vero nudum adscribit, quam differentiam in *Abfinthio Pontico* seu *Romano Offic.* seu *Dioscoridis C. B.* & in *Abfinthio Pontico* & *Romano* quibusdam, aliis *Seriphio f. B.* deprehendit. Enimvero pleræque reliquæ species *Abfinthii thalamum* obtinent non villosum, quas tamen *Abfinthiorum* familiæ nemo, opinor, eripiet, cum *Abfinthium* omnibus exacte partibus referant. Nec porro radiatis floribus *Abfinthium*, *Abrotanum* & *Artemisiam* cum *Pontedera* annumerarim, cum flosculi potius sint spermatici, styliformes, quibus semina fecunda subnascuntur, quam veri semiflosculi, & figura ab illis multum recedant, qui non tantum in his, sed aliis etiam generibus, nempe in *Filagine*, *Tanaceto*, *Baccharide*, *Petasite* aliisque subinde observantur. Quæ quidem sunt ejusmodi, ut observari mereantur, sed neutiquam inde differentia generum characteristica desumenda.



Ex dictis notis Artemisiæ annumeranda est nostra hæc species, quæ si facies externa valuisset, Abrotani fuisset species. Nata ea fuit ex feminibus Indicis (Orientalibus an Occidentalibus incertum, Orientalia tamen suspicor) proceritate insigni, ita ut caules altero a satione anno ad duodecim usque pedum longitudinem excreverint, crassi & lignosi, virides ab initio, dein vero rufescentes, ramis multis surrectis & in pyramidalem formam digestis. Caules & folia inferiora, juniora præcipue, multis tenuissimis pilis hirta & villosa fiunt, superiora vero glabra sunt & viridia. Porro folia inferiora, quale seorsum appictum est, multifariam dissecta sunt, superiora trifida tantum observantur, suprema vero integra esse solent, & terna plerumque, five integra, five divisa sint, ex eodem principio nascuntur, tenuia valde & satis longa, donec ad spicarum ortum ventum fuerit, ubi sensim breviora fiunt.

Per supremos ramulos alterna serie spicæ hinc inde enascuntur breves, nec valde crebræ, e quarum foliolorum alis capitula surriguntur rariora, sessilia, exilia, oblonga, acuminata, tribus quatuorve unius & ejusdem structuræ flosculis minutis donata, qui singuli singulis feminibus nudis, ut in aliis speciebus, insident. Tum flosculi, tum semina, immo capitula, adeo parva sunt, ut vix, & non nisi armato oculo, conspici queant, hoc vero modo inspecta, aliarum specierum instar formata esse observantur. Seminibus perfectis caules exarescunt, novis mox e radice enascentibus & plantæ perennitati inservientibus. Floruit primum Decembri mense, dein vero aliis annis maturius sub auctumno.

Accedit proxime ad Artemisiam Italicam elatiorem, Delphinii folio viridi, inodoram *Comm. Ac. R. Sc. A. 1719. p. 287. n. 24.* Differt autem foliis angustioribus, capitulis minoribus & angustioribus, multo minus crebris, caulibus vero plures ramulos emittentibus.

An Abrotanum Sinense tenuissimis longioribus foliis, corymbis perexiguis *Pluk. Amalb. p. 2?* vel Abrotanum mas Sinensium, foliis & corymbis minutissimis *Ejusd. Ibid?*

**ASTER CHENOPODII FOLIO ANNUUS, FLORE INGENTI SPECIOSO T. XXXIV. F. 38.**

**T**RES sunt proprietates, quæ hanc Plantam ab aliis Asteris speciebus distinguunt & singularem reddunt: Primo nascendi modus, secundo foliorum insolita in hoc genere figura, tertio florum magnitudo & color.

Sesqui & bicubitali vero nascitur altitudine, caule erecto rigido, digitum minorem inferius crasso, profundis striis vel sulcis potius exarato, plures ab imo ad summum usque ramos longos repandos undique spargente, cujusmodi nascendi morem non memini me in alia hujus generis specie adhuc observasse.

Folia caulis basi circum nascentia longa lataque sunt, super terram strata, Chenopodio, Pes anserinus primus *Tabern.* dicto, similia, longis pediculis carinatis hærentia, glabra, (licet per margines pilosa & veluti spinosa sint) superne virentia, inferne pallidiora, & similia folia ramorum alis, sed nonnihil minora, adhærent, quæ vero ramis ipsis adnascuntur, longe minora fiunt, & lætius virent, Chenopodii illius foliorum superiorum



R38.

F.37.

T. XXXIII.



*Artemisia procerior. foliis &  
capitulis tenuibus.*





*Aster Chenopodii folio, annuus, flore ingenti specioso. Elexp. China delatus.*



periorum, vel & vulgaris instar, incisa, reliqua ramorum extremitatibus adhaerentia angustiora & integra sunt.

Flores summo cauli & ramorum extremitatibus innascuntur, omnium, quotquot adhuc innotuerunt, Asteris specierum maximi & speciosissimi, e plurimis semiflosculis latis & longis, parum & vix conspicue in extremitate crenatis, & innumeris flosculis quinquefidis, in discum latum & ab initio planum, dein ad flosculorum interiorum explicationem nonnihil protuberantem congestis, compositi, colore in his flavo, in illis amoenissime purpureo, nempe ab initio dilutiore, qualis in *Perficæ* floribus observatur, postea vero saturatiore & vivaci purpureo-rubente colore tinctis.

Calyx foliosus est, e plurimis nempe foliolis concavis virentibus constructus, quæ folia proxime subter semiflosculos tenuiora fiunt, & squamarum purpurascensium instar adhaerent. Oræ foliolorum calycis hispidae sunt, folia etiam tenuiter, sed vix, nisi in majoribus foliis conspicue, pilosa sunt, foliorum autem pediculi evidentius pilosi observantur, ut & caules ramique, qui teretes & tenuiter striati sunt, colore rufescente imbuti, caulis autem e rufescente virescit. Ceterum caulis solitarius e radice fibrosa nascebatur, ramis abundans, quorum extremitatibus flores innascebantur, floribus superioribus primum, dein mediis, tandem inferioribus seu in imis ramis locatis, se aperientibus, qui flores posteriores superioribus minores erant, praesertim qui postremo omnium ex alis ramorum in ramulis junioribus nascebantur.

Semina subfusca sunt, tenui lanugine obsita, subteretia, in extremitate latiora, tenui pappo albicante terminata. Hæc cum flosculis figura marginali prima, secunda sine flosculo semen maturum, tertia folium inferius, a quo ima, nisi quod nonnihil breviora sint, non differunt, appinguntur.

Speciosæ hujus plantæ semina benevole communicavit *Adr. van Royen*, Botanices in Acad. Lugd. Bat. Professor.

### *ASTER ERICOIDES, MELILOTI AGRARIÆ*

UMBONE T. XXXV. F. 39.

**Q**uos Asters florum pediculis polyphyllis nuncupavit *Rajus* in *Hist. Plant. Tom. III. p. 165.* eos, ob foliorum in summis caulibus & ramulis cum *Ericæ* quibusdam speciebus similitudinem, ericoides dico cum *Jac. Breynio*, qui exempli loco unam recenset speciem in *Prodromo secundo p. 21.* nempe Asterem Virginianum frutescentem minorem ericoidem, *Linariæ* folio, flore albo parvo quem eundem censeo cum *Astere Novæ Angliæ Linariæ* folio, *Chamæmeli* flore *Herm. Par. Bat. p. 95.* cui species hæc valde similis est, sed flores habet cærulescentes, calyce longiore inclusos, & multo serius, non tantum longe post illam, sed ceteras omnes species, nempe ipsa hyeme, Decembri mense, ni frigus gravius ingruat, floret.

Caules ei ex eadem radice perenni enascuntur plures, recti, teretes, rigidi, altitudine duum cubitorum, glabri, virentes, subinde e fusco purpurascens, culmi in fictili crassitie, in solo libero nonnihil crassiores, robustiores & altiores, non striati, foliis mox ab imo vestiti oblongis, angustis, cuspidatis, pendulis, glabris, ad margines subasperis, saturatim viridibus, oblongis venis, in se rhomboidali modo ductis, exaratis, quæ, quando planta floret, plerumque exarescere solent. Qui  
caules



caules circa sui medium in ramos plures alternatim orientes dividuntur, ramis imis brevioribus, ceteris pedetentim longioribus, oblique sursum porrectis, teretibus, virentibus, striatis, quorum alis folia adnascuntur breviora & angustiora, minus conspicue venosa, ex ipsis vero alis alii ramuli tenuiores nascuntur, foliis adhuc tenuioribus, brevioribus, crebrioribus, Ericæformibus vestiti, glabris, saturanter viridibus.

Flores in summis ramulis pediculis oblongis foliosis innascuntur, quam in sequenti specie, nonnihil majores, e radio dilute violaceo, disco vero flavo constructi, semiflosculis ab initio concavis, dein planis, radiatim expansis, mox, ubi fatiscunt, pendulis, flosculis, quod adeo sero apud nos floreat, raro explicatis, sed conniventibus, in capitulum Meliloti agrariæ instar protuberans collectis, calyce clausis, quam in sequenti, longiore, squamis, ut in illo, non reflexis, sed appressis, a qua specie foliis porro inferioribus minus obtusis & magis glabris differt.

Nata fuit hæc species e seminibus ex Nova Anglia delatis. Perennis est cum sequentibus, ut sunt pleræque omnes Asteris species.

### ASTER ERICOIDES, DUMOSUS

T. XXXVI. F. 40.

**A**B Astere Novæ Angliæ Linariæ folio, Chamæmeli floribus, quem *Hermannus Par. Bat. p. 95.* accurate descriptum & depictum dedit, differt floribus minoribus & crebrioribus, Virgæ aureæ instar spicatum dispositis, foliis, quæ in imo caule locantur, longioribus, obtusioribus & magis asperis, & quod multo magis ramosus sit, ita ut si illius flores sylvam, ut *Hermannus* loquitur, constituant, hujus rami & flores dumetum efficere videantur. In reliquis vero partibus illi adeo similis est, ut, ni hæc differentiæ observentur, distingui non facile queat.

Ab Astere vero Virgineo angustifolio serotino, parvo albente flore a *Park. Theatr. Bot. p. 132.* descripto non depicto, tum dictis notis, tum quod folia inferiora nonnihil longiora, in medio quidem angustiora, in extremitate vero obtusiora sint, folia autem superiora multo, quam in Parkinsoniano breviora & angustiora observentur, differt. Sunt nempe folia, quæ ramulos intercedunt, Hermanniani illius instar formata. Præterea Parkinsoniani folia inferiora & ramulorum basi apposita, secus ac ille dicit, nonnihil denticulata sunt, & minus, ac hujus, aspera. Licet autem hæc species aspera habeat folia, ea tamen multo minus, quam sequentis, aspera sunt.

Ceterum bicubitali plerumque altitudine est hæc species, caulibus ex eadem radice perenni enascentibus pluribus, in innumeros divisos ramulos, qui floribus tantopere abundant, ut, ni sustententur, licet flores & ramuli tenues sint, ob eorum copiam sæpe deprimatur planta.

Folia, præcipue inferiora, (utrinque appicta) tangenti aspera, ut dictum, sentiuntur, minus tamen quam sequentis, nec spinulis, illius instar, per margines obsita sunt. Ceterum ea, prioris instar, venis rhomboidalibus exarata sunt.

Florum radius albicat, discus luteolus est. Calyx e minutis foliolis reflexis constat, quibus etiam ramuli & florum pediculi vestiuntur, unde hoc genus Aste-

res





*Aster ericoides, Meliloti agrariae umbone.*





*Aster grandiflorus asper,*  
*squamis reflexis.*

*Aster ericoides dumosus.*



res, ut superius demonstratum fuit, Asters florum pediculis polyphyllis inscripfit Rajus.

Sponte nascitur in Virginia & Carolina. Sole ex Libra in Scorpionem transeunte quotannis floret. Flosculi seorsum in margine figura prima, & semiflosculi figura secunda appositi sunt.

*ASTER GRANDIFLORUS ASPER, SQUAMIS REFLEXIS T. XXXVI. F. 41.*

**I**NTER alias Asteris species, quas America septentrionalis provinciæ larga manu suppeditaverunt, non postremæ venustatis est hæc species, quæ caules ex eadem radice perennante surrigit plurimos, (quindecim & viginti) culmi crassitie, altitudinis in olla sesqui & bicubitalis, in solo libero altiores, coloris inferiori parte rubiginosi, superiori rufi, foliis crebris alternis, angustis & oblongis, deflexis vestitos, e quorum alis summitatem versus crebri enascuntur ramuli, quibus singulis singuli, non congesti, sed remoti ab invicem insident flores ampli, violacei; radius nempe e semiflosculis oblongis, cuspidatis, violaceis, per quos striæ duæ saturatiores decurrunt, componitur, discus autem constat e flosculis ab initio flavis, dein rubescentem colorem contrahentibus, quibus calyx subest foliosus, e squamis, quam in aliis speciebus, latioribus & viridioribus constructus, squamis quidem flori proximis angustioribus, surrectis & appressis, reliquis vero latioribus, extantibus & retroflexis.

Folia florum pediculos & summos ramulos cingentia situm squamarum calycis imitantur, retroflexa nempe sunt, brevia, angusta, inferiora, ut supra dictum, reflexa etiam sunt, longiora autem fiunt & latiora, quorum magnitudo & figura ex appictis in Tabula foliis patet, quæ si utrinque angustata essent, Hyssopi foliis comparari possent, verum obtusiora in apice, latiora ad basim sunt, ceteroquin hirsuta & crebris spinulis, præsertim per margines, oblita, quibus & capitula ipsique caules scatent, ut aspera inde dici & distingui mereatur hæc species.

Figura marginali prima & secunda semiflosculi, tertia flosculus inapertus, quarta aperti exhibentur: inferius folia aliquot inferiora cauli utrinque appicta sunt.

M. Catesby elegantioris Floræ cultores debent hanc speciem, qui e Virginia ad experientissimum, quum in vivis esset, Hortulanum Thom. Fairchild primum transmisit, unde in alios hortos transdita fuit, & quoniam sero, Octobri nempe & Novembri mensibus floret, quo tempore flores hortos deficere solent, eo magis æstimatur a florum cultoribus.

Aster Novæ Angliæ altissimus hirsutus, floribus amplissimis purpuro-violaceis *Par. Bat. p. 98.* foliis majoribus, magis acuminatis, non asperis, caulibus altioribus, floribus pluribus congestis, iisque minoribus distinguitur a nostra specie.

Aster Americanus frutescens, Saturejæ foliis scabris, floribus amplis saturate violaceis *Pluk. Alm. p. 56. Tab. 14. Fig. 7.* floribus minoribus, calycis squamis angustioribus & minus reflexis, foliis angustioribus, rigidioribus, surrectis, superficie splendente, nulla autem hirsutis præditis, licet valde scabra sint, a nostra porro specie differt.



*ASTERISCUS CORONÆ SOLIS FLORE ET  
FACIE T. XXXVII. F. 42.*

**A**STERISCI genus descriptum habemus a Tournefortio in *Instit. Rei Herb.* p. 497. quod postea in *Comment. Acad. R. Scient. A.* 1720. p. 331. interpolavit & auxit Vaillant. Observandum autem nec illum, nec hunc satis accurate hujus generis observationem instituisse. Tournefortius quidem semina duplicis figuræ agnoscit & utraque Tabula 283. depicta dedit, alia nempe flosculis subjecta oblonga sunt & gracilia, ad literam D. in dicta Tabula expressa, alia, subter semiflosculos nascentia, plana & marginata, figura G. R. Q. designata, quæ præcipue advertit Tournefort. & de his intelligendus, dum embryones in semina plana & plerumque marginata abire scribit. Namque interiora seu flosculis subjecta semina in Asterisco vulgari, cujus flores & semina depinxit Tournefort. plana & marginata non fiunt, sed gracilia & per maturitatem ex tereti quadrangularia sunt, corona denticulata, a Tournefortio non observata, terminata, qua carent exteriora foliacea semina. Præcipuam autem generis notam in calyce stellato & florem superante reposuisse videtur Tournefort. Contra Vaillant calycem parvi facit & species quasdam addit calyce stellato carentes: nempe Asteriscum Afrum, imo calyce non folioso *Comm. p. 332. n. 8.* Asteriscum perennem Salicis glabro folio, imo calyce non folioso *Ibid. n. 9.* & Asteriscum perennem villosum ferratum, imo calyce non folioso *Ibid. n. 10.* quoniam nempe reliquas requisitas notas, thalami videlicet & seminum similitudinem ipsi obtinere videntur. Placenta quidem seu thalamus, ipso in dictis *Comm. p. 331.* observante, squamulis concavis refertus est, quibus semina continentur rotunda, vel angulosa, (melius teretia vel potius ex tereti angulosa dixisset) corona denticulata vel circulo piloso brevi terminata. Quibus notis addit folia integra vel leviter tantum dentata, & quod ramuli & summitates plures uno in fastigio flores non ferant. Alias quasdam levidenses ab ipso memoratas notas omitto. Ex quibus constat, Vaillantium ex squamulis præcipue illis, semina distinguentibus, & horum summitate denticulata hujus generis characterem sumere. Merito autem reprehendi meretur Vaillant, quod semina illa majora exteriora foliacea, a Tournefortio olim annotata, quæ corona denticulata carent, & vere feminalia seu fœcunda videntur, præterierit, cum semina duplicis figuræ ad generis characterem pertineant; Tournefortius vero in eo culpam incurrit, quod semina interiora & thalami squamas non examinaverit.

Talismi semina, squamulæ & calyx, sive is longior sit & florem superet, sive brevior, modo squamosus & foliaceus sit, hujus generis notas characteristicas constituere mihi videntur, & ex his hujus generis speciem facio plantam, cujus nomen supra recitatum est.

Caulem ea emittit digiti minoris crassitudine, cubitalem aut paulo altiorem, firmum, solidum, hispidum, purpureis maculis respersum, foliis cinctum inordinatis; inferiora enim alterna sunt & brevioribus distantibus ab invicem remota, unciali modo, modo vix semunciali intercapedine intercedente, ubi vero caulis in ramos dividitur, quod paulo supra ejus medium fieri solet, ibi folia propius & fere ex adverso ponuntur, spatia autem intermedia longiora observantur. Folia omnia ve-

nis





*Asteriscus Coronae Solis flore & facie.*







nis obliquis & inordinatis abundant & aspera sunt, superficie rigidis pilis undique obsita. Inferiora absque ordine aliquantum per margines sinuata sunt, (vid. figura marginalis prima & secunda) media (num. 3.) lenius sinuata, superiora vero (num. 4. & 5.) integra observantur in planta in horto enutrita, in spontanea profundius & acutius fere ad summitatem usque incisa sunt, cujusmodi folia figura 6. & 7. appicta sunt.

Caulis in quatuor, quinque aut sex dividitur ramos, in quorum extremitatibus flores nascuntur non papposi, e simplici semiflosculorum serie constantes, Coronæ Solis figura & colore, marginibus tamen extremis non ita cuspidatis, nec integris, sed trifidis: discus autem e plurimis constituitur flosculis quinquefidis, e quibus stylus simplex croceus prominet, cujus tubula non erigitur, sed intra flosculos semper latet, coloris violacei, flosculi autem flavi sunt, semiflosculorum instar. Calyx e multiplici foliolorum squamatim sibi impositorum ordine constat, quorum exteriora angustiora, media latiora, interiora minora & breviora sunt. Flosculos numerosæ ambiunt squamæ foliaceæ, in orbem positæ, discum efficientes prominulum, quæ, & calycis folia, margines habent pilosos. Semina duplicis generis obtinet; exteriora enim flosculis subjecta plana lataque sunt & cordata, interiora sub flosculis sita, angusta & gracilia sunt, corona denticulata terminata. Figura 8. calycis, figura 9. thalami foliolium, figura 10. flosculi & semina interiora, figura 11. semiflosculus & semen exterius separatim exhibentur.

Sole in Leone existente quotannis nobiscum floret, orta ex feminibus Carolinensibus; perennis planta.

A Corona Solis differt feminibus, semiflosculis rarioribus & laciniatis, calyce composito, thalamo prominente & squamis planis favi figuram non repræsentantibus.

*ASTERISCUS FRUTESCENS, LEUCOJI FOLIIS  
VIRIDIBUS & SPLENDENTIBUS T. XXXVIII. F. 43.*

QUONIAM calyx stellatus in Asterisci genere, ut ad præcedentem speciem est demonstratum, non necessarius fuit visus, hæc & sequens planta, Chrysanthemo a plerisque, a Plumiero vero & Tournefortio Coronæ Solis annumeratæ, quoniam feminibus & thalamo, quin & semiflosculis, qui in plerisque Asterisci speciebus tenuiter & multoties crenati sunt, convenit, in ejus familiam recipi debent. Equidem Vaillant in Comment. Acad. R. Scient. A. 1720. p. 335. eas annotat a Coronæ Solis genere recidendas esse, cuinam vero generi annumerandæ sint, non docet. Nimirum differunt feminum præcipue structura a Corona Solis, cujus femina, ipso etiam Tournefortio observante, duobus tantum foliolis, auricularum instar surrectis, terminantur, cum hujus generis femina pluribus denticulis in summitate incisa sint. Nec obstant folia, quæ reliquis Asterisci speciebus alternata, his vero duabus conjugata sunt, cum & in Coronæ Solis genere, quædam species alterna, aliæ vero non pauca conjugata folia obtineant.

Cubitales & bicubitales huic speciei sunt caules, qui stolones emittunt pedales & bipedales, cortice subfusco glabro vestitos, in quibus folia nascuntur conjugata, decussatim sibi respondentia, crassa, rigida, venosa, (præsertim superne) sempervirentia



rentia, saturanter virentia & splendentia, mucrone brevi terminata, quam sequentis speciei rigidiora & nulla sericea lanugine obducta.

Flores in summis caulibus & ramulis, nullo certo anni tempore observato, nunc hyeme, nunc vere, nunc æstate nascuntur lutei, inodori, e corona semiflosculorum brevium, latiusculorum, striatorum, reflexorum & disco satis amplo flosculorum majusculorum, quibus subinde semiflosculi quidam minores sparsim intermixti sunt, conflati, calyce excepti breviori & non stellato, e squamis latis subrotundis, virentibus, rigidis & nonnihil hiantibus composito. Qui semiflosculi in extremitate in tres quatuorve breves lacinias divisi sunt, ad basim vero stylum habent brevem bicornem, quibus femina subjiciuntur latiuscula, ex quadrangulo compressa, in summitate denticulata; flosculi autem in quinque lacinias breves dividuntur, versus basim nonnihil ventrosi, lutei, (e quibus vagina surgit subfusca, farina fusa minutim denticulata, stylum emittens bicornem) feminibus insidentes, quam semiflosculi, tenuioribus, quadrangularibus, in summitate etiam denticulatis, squamulis exceptis concavis teneris tum & mollibus, ex herbaceo flavescentibus, obiter per margines superiores denticulatis. Hi semiflosculi figura marginali prima, (ubi semiflosculus anterior & posterior geminati exhibentur, nam fieri subinde solet, ut semiflosculus alius junior, ligulæ instar, e majori juxta stylum enascatur) secunda vero flosculi cum feminibus, & tertia squamæ seorsum appictæ sunt.

A *Plukenetio Alm. p. 102.* dicta fuit hæc species, *Chrysanthemum Bermudense*, *Leucoji foliis virentibus crassis*: *Hermannio in Catal. ad Fin. Par. Bat. p. 6.* *Chrysanthemi flore planta Americana frutescens, foliis viridibus crassis*: *Bobarto in Hist. Oxon. Part. III. p. 25.* loco ultimo audit, *Chrysanthemum Bermudense, rigido folio viridi*: *Plumiero in Catal. p. 10.* & *in Delin. Corona Solis Americana frutescens, Laureolæ folio, flore luteo*: similiter *Tournefortio Inst. R. Herb. p. 490.* *Chrysanthemum Virginianum arborecens, folio splendente crasso* dixit *Schwerin in Catal. Hamb.* Verum, quantum mihi constat, in Virginia sponte non nascitur.

**ASTERISCUS FRUTESCENS, LEUCOJI FOLIIS  
SERICEIS ET INCANIS T. XXXVIII. F. 44.**

**C**AULES hæc species, quam illa, apud nos profert longiores, tenuiores, rigidiores & magis lignosos, crebris tuberculis exasperatos in annosioribus plantis, (in junioribus fusco-cinerei & æquabiles sunt caules, seu nullis tuberculis præditi) & frequentioribus, ac illius, geniculis distinctos, cortice cinereo vestitos. Florum pediculi longiores, semiflosculi pallidiores sunt, stylis magis intortis & phoeniceo colore tinctis præditi, discus magis prominens & squamis pungentibus exasperatus. Folia quidem crassa sunt, sed non æque rigida, non splendentia & minus venosa, ex glauco canescentia & tenui sericea tela utrinque velut obducta, versus pediculum una alterave lacinia prominente plerumque donata: nervus utrinque parum protuberat, e quo venæ aliquot obliquæ decurrunt.

Flores nunc hyeme, nunc vere, nunc æstate, frequentius autem ineunte hyeme in Hybernaculo profert & diu retinet; lentissime enim nascuntur. Ceterum flores semiflosculos habent latiusculos, subrigidos, ab initio cuspidatos & integros, de-  
in





*Asteriscus frutescens, Leucoji* } *Asteriscus frutescens, Leucoji*  
*foliis viridibus & splendidibus* } *foliis sericeis & incanis*





*Verbena frutescens L.* *Verbena frutescens L.*  
*Verbena frutescens L.* *Verbena frutescens L.*



in in laciniis aliquot fissos, duabus striis profundis & aliis minus profundis exaratos, ad quorum basim styli nascuntur bicornes, intorti, longiores quam flosculorum, & saturatiore phœniceo colore tincti. Flosculi semiflosculorum instar pallide flavi sunt, in quinque exiguas laciniis divisi. Calyces rigidi e triplici foliolorum serie constant.

Ramulus superior capitulum feminale demonstrat, quod ex squamis rigidis echinatis, ad basim foliolis oblongis pendulis & marcidis (calycis squamis) cinctis constabat, squamis illis echinatis fuscis tum, (ab initio virescunt) inter quas semina latebant exterius nonnihil majora, oblonga, ex quadrangulo compressa, coronula in summo cava, denticulis pluribus incisa, terminata, interius nonnihil minora & breviora, coronula quatuor denticulis divisa prædita. Medius ramulus florem plane expansum, inferior nondum plene explicatum demonstrat.

Figura minori prima flosculi, secunda squamulæ, quæ per margines obiter denticulatæ sunt, tertia semina exteriora, quarta interiora exhibentur.

*Plukenetio* in *Alm.* p. 102. dicitur, Chrysanthemum ex Insulis Caribæis, Leucoji incanis & sericeis foliis, argenteis, crassis, quo nomine & in *Hist. Oxon. Part. III.* p. 25. loco penultimo describitur. Particula ejus figuratur *Phytogr. Tab. 115.* fig. 4. quæ præcedentem speciem magis, quam hanc, referre videtur. In figura semiflosculi integri exhibentur, vel quod figura a flore non plene explicato desumpta, vel quod ad siccam facta sit. Describitur etiam in *Hist. Jamaic. Vol. I.* p. 260. n. 22. ubi & in *Catal. Fam.* p. 125. dicitur, Chrysanthemum fruticosum maritimum, foliis glaucis oblongis, flore luteo. A *Tournefortio Inst. R. Herb.* p. 490. & *Plumiero in Cat. Plant. Amer.* p. 10. & in *Delin.* ut supra dictum, ad Coronam Solis refertur, & Corona Solis Americana frutescens, Lychnidis folio, flore luteo vocatur. Lychnidi coronariæ forte comparantur folia, cujus tamen folia longe ampliora sunt & magis crassa.

Alia datur species inter hanc & illam media, foliis minus splendidibus, nec tamen, hujus instar, incanis, per ambitum dentibus latiusculis & raris incisis, quam *Plukenetius Alm.* p. 102. nomine Chrysanthemum Bermudensis, folio longiore, angusto dentato, annotavit, quam folia præcedentibus æque lata in Horto Elthamensi obtinere observavi; junior autem erat planta, nec ætatem tulit, quarum folia ab annosioribus non parum variare notum est.

**ASTRAGALUS PROCERIOR NON REPENS,**

FLORE E VIRIDI FLAVESCENTE T. XXXIX. F. 45.

**B**ICUBITALI & tricubitali nascitur altitudine, caulibus ex eadem radice prodeuntibus pluribus erectis, ad genicula saltem leniter hinc inde inclinantibus, calamus olorum crassis, ex tereti nonnihil angulosis, lævibus, tenuiter striatis, coloris e fusco purpurei. Qui caules simplices sunt, seu ramis destituti, dempta superiori parte, qua subinde furculi aliquot foliosi & floridi prodeunt, foliis ab imo ad summum usque amicti alternato ordine nascentibus, Galegæ similibus, e pluribus pinnarum (a septem & octo ad viginti usque) conjugationibus, cum impari in extremo pinna, compositis, venis levidensibus obliquis præditis, parte supina



viridibus glabris, prona pallidioribus & subincana tenui lanugine obfita, interdum se explicantibus, noctu se contrahentibus & demittentibus, velut in aliis permultis Leguminosis contingere solet, qui motus ab egregio Botanico, Valerio Cordo, primum in descriptione Glycyrrhizæ Hist. Libr. II. C. 156 accurate annotatus fuit.

Flores plures versus superiorem caulium partem e foliorum alis nascuntur spicatum digesti, antequam explicantur surrecti, dein horizontali, & tandem nutante situ digesti, unicolores, ex pallidiore herbaceo colore flavicantes, e vexillo latiusculo surrecto & modice ad margines reflexo, (vid. figuram marginalem primam) alis angustis concavis, in medio, qua carinam attingunt, hamatis, (vid. figuram secundam) & carina minore compressa (vid. figuram tertiam) compositi, pediculis brevissimis, tenui ligula ad basim præditis, hærentes, & calyce tubuloso concolore, in quinque breves lacinias diviso, excepti; quibus præteritis filiquæ subnascuntur breves, oblongo-rotundæ, stylo uncinato terminatæ, in duo loculamenta, aliarum hujus generis specierum instar, divisa, semina continentes plura reniformia.

Astragalus Canadensis, flore e viridi flavescente *Acad. Reg. Scient. p. 65.* huic persimilis, sed non eadem est planta. Differt autem, quod humilior sit, bipedalem altitudinem non facile excedens, caulibus minus rectis, infirmioribus, magis ramosis & magis angulosis, foliis e paucioribus, (septem, octo, novem & decem tantum) pinnarum, nonnihil breviorum & obtusiorum, conjugationibus compositis, colore saturatiore viridi, ad glaucum vergente, præditis, superficie inferiori non lanuginosa, sed simpliciter ex glauco canescente: porro flores Canadensis mox ex viridante & flavente in obsolete fuliginosum transeunt colorem, secus ac in hoc solet fieri. Sed, quod præcipuum est, noster radicibus non repit, ille vero insigniter. Ceterum uterque perennis est & Julio mense floret. Noster e seminibus Carolinensibus natus fuit.

*ATRIPLEX MARITIMA HISPANICA, FRUTESCENS ET PROCUMBENS* TOURN. INST. R. HERB. P. DV. T. XL. F. 46.

Quo loco quærit Tournefortius, an sit Halimus Dalechampii *J. B. Hist. Plant. Tom. I. Part. II. L. 8. p. 227?* Quæ vero de hoc recenset J. Bauhinus, ea cum ipsa figura ex Historia Lugdunensi desumpta sunt, & licet figura rudior sit & quoad flores vitiosa, tamen ea foliorum figuram & nascendi morem non male exprimit, descriptio vero nostræ plantæ satis bene respondet, ut eandem cum nostra ibi plantam designari credam. “ Halimus verus *Dalech.* Tholosatibus “ *l'Herbe du masclou*, i. e. Herba colicis doloribus utilis, (ita Hist. Lugd.) frutex “ parvus, radicem habet altam, inflexam, longius evagantem, crassam, duram: “ caules multos, latius in orbem terram opacantes, cubito altiores, angulosos, ramosos: folia multa in furculis, per caules cauliumque ramulos imparibus intervallis dispositis, acervatim cumulata, crassa candida, Oleæ familia, breviora, “ etiam hyeme virentia, saporis primum quidem falsi ac subadstringentis, qualis “ in permultis maritimis plantis percipitur, deinde subdulcis. Semen producit “ latum, candicans (intelligendæ sunt valvulæ semen protegentes) in summis ramulis





*Astragalus procerior non repens, flore e viridi flavescente.*





*Atriplex frutescens* & *maritima* Hispan. *procumbens* Tourn.

*Atriplex Or. frutex aculeatus*, flore pulchro Ejusd.



“ mulis copiosum: Tholosæ in hortis coli & sponte nasci ad vicum tribus milliari-  
 “ bus ab urbe distantem, quem *Saint Hourens* vocant, loco macro squalido:  
 “ Tholosates foliorum manipulum terere & ex vino albo propinare, maximo do-  
 “ loris colici torminumque levamento.”

Porro minime est dubium, quin hæc planta sit, Polygonum incanum rotundifolium halimoides, fruticans Hispanicum *Barrel.* quod *Obs.* 1145. in maritimis agri Toletani provenire dicit, & cujus figuram *num.* 733. habet satis laudabilem, sed absque floribus & fructu, quos in descriptione, quæ ceteroquin brevior & illa minus bona est, sibi non observatos dicit, & hinc ex habitu plantæ Polygonum vocavisse videtur. Quas figuras & descriptiones ut emendem & suppleam, ramum cum floribus & seminibus hic exhibere volui.

Caulem nobiscum digitalem profert, rimosum, cortice cinereo vestitum, in ramos longos, bicubitales & tricubitales, qui, ni pedamento fulciantur, procumbunt, desinentem, e quorum alis alii breviores virentes nascuntur, foliis inferioribus ad alas positos obiter dentatis, ceteris integris, brevibus, absque pediculis adnascentibus, crassiusculis, ex argenteo colore glaucescentibus. E ramulorum horum superiorum alis flores & embryones æstate nascuntur conglomerati; ad singulas nempe foliorum alas tres quatuorve flores, e calyce monophyllo herbaceo, in quinque laciniis diviso, & quinque staminibus, apicibus didymis, ex herbaceo flavicantibus, terminatis, conflati, quibus interponuntur embryones, e duabus valvulis herbaceis & stylo bicorni constructi, qui dein in semina abeunt subrotunda, compressa, veluti reniformia, e spadiceo lutescentia, lævia, tenui membranula candicante obvoluta, & calyce bifolio seu duabus valvis ad marginum basim & in dorso laciniatis & veluti cristatis recondita; in calyce vero illo quinquefido nulla in hac specie observare potui semina. Quæ semina & valvæ maturefcentia in ramulo minore, in majore vero flores & embryones exprimuntur, figuris autem intermediis omnia seorsum appicta sunt; nempe figura prima embryo cum calyce bifolio, secunda flos cum calyce quinquefido, tertia valvæ maturæ, quarta semina cum membranula & stylo exarido, quinta semina matura, dempta membrana ea involvente.

*ATRIPLEX ORIENTALIS, FRUTEX ACULE-  
 ATUS, FLORE PULCHRO* TOURN. INST. R. HERB. CO-  
 ROLL. P. XXXVIII. T. XL. F. 47.

**I**N fruticem cubitalis & bicubitalis nascitur altitudinis, caudice & ramis lignosis, cortice cinereo, aut e cinereo subfusco, vestitis, cujus ramis folia adnascuntur lanceolata, cæsia, glabra, nullis præter nervum tenuem medium venis donata in virente planta, in sicca autem admodum venosa ea fiunt.

Flores per extremos ramulos copiosi nascuntur, *Circææ* flores referentes, e pluribus staminibus & calyce specioso conflati; nempe duo foliola lateralia brevia & angusta sunt, ex herbaceo albicantia, media vero seu inferius & superius longe ampliora & teneriora, candida, aut tenui purpura tincta, per margines sinuata & crispa, dipetalos flores simulantia, verum non decidua, sed ad seminum maturitatem perstantia & ea complectentia, in quorum centro embryo fedet compressus, vi-  
 rens



rens, capitulo gemello seu stylo sessili testiculato purpureo terminatus. Stamina sex sunt, calyx vero, ut modo demonstratum, tetraphyllus, alii vero calyces monophylli quinquefidi, quales in plerisque reliquis Atriplicis speciebus observantur, in hac planta desunt, atque hac ratione quodammodo ab iis recedit hac planta, novum tamen genus non meretur, cum reliquis notis, præcipue semine compresso, valvis tecto, conveniat.

Sub auctumno nobiscum floret elegans hic frutex. *Buxbaum Plant. Min. Cognit. Cent. 1. p. 19.* locis natalibus Julio florere refert, & sibi observatum dicit locis glareosis circa fluvios & rivulos in Media, prope urbem *Jenschi* seu *Hanssem*. Figura ejus cum ad siccam facta videatur & minus sit laudabilis, aliam meliorem dare volui, cui ad marginem flores aliquot figura prima & secunda seorsum parte antica & postica, tertia embryones cum styli appinxi.

Ramulorum extremitates in spinam rectam cineream desinunt: Buxbaum aculeos uncus dicit & calyces amœne purpureos striatos; nobiscum dilute purpurascunt calycis segmenta petaliformia & striis carent, cetera duo minora calycis foliola in medio virent, ad margines vero candida sunt.

**BERMUDIANA IRIDIS FOLIO, RADICE FIBROSA** TOURN. INST. R. HERB. P. CCCLXXXVIII. T. XLI. F. 48.



ERMUDIANE species hæc vulgaris est, quæ pedali & sesquipedali plerumque est altitudine, foliis Iridi similibus, sed minoribus, ad basim vaginatim prodeuntibus & Iridis instar se complexantibus, mox ubi a se abscedunt, folliculi illi seu vaginæ foliorum marginales obliterantur, & folia plane integra fiunt, parte tam antica, quam postica sibi similia, secundum longitudinem striata & Iridis instar compressa, glauca, juniora nempe & virentia, vetustiora lutescunt, & arida tandem fusca fiunt.

Caulis inter media folia erigitur a foliis figura non differens, compressus nempe est & foliorum instar striatus, ea saltem differentia, quod foliis firmior sit & in medio aliquanto crassior, nervo velut latiusculo prominente donatus. Hi caules in ramulos aliquot abeunt, in quorum fastigio e theca foliacea, nunc simplici, nunc duplici, flores nascuntur quatuor, quinque & plures, successive prodeuntes, pediculis brevibus hærentes & embryoni trigono insidentes, nudi, hexapetali, petalis tribus interioribus, quam exteriora, aliquanto angustioribus, coloris intus e violaceo purpurei, maculis ad basim crenatis luteolis distincti, per superficiem vero striis saturatoribus purpureis notati, extus e violaceo albicantis, unguibus luteo-virentibus ad basim distincti. Ceterum petala obtusa sunt, in medio vero in cuspidem subito desinunt, quam in sequenti specie, brevior.

Stylus e medio flore erigitur simplex, e cujus summitate apices absque staminibus luteoli pendent, farinam croceam fundentes. Vascula subnascuntur grandiuscula, trigona, minus, quam sequentis, obtusa & rotundata; porro flores majores sunt & colore diverso præditi, caulis item & folia, i. e. tota planta major est.

Æstate



HORTI ELTHAMENSIS.



F.49.


*Bermudiana graminea,*  
*flore minore caeruleo.*

*Bermudiana Iridis folio,*  
*radice fibrosa Tourn.*



PLANTA RARIORIS

48



BERNARDINI VIRIDIS FOLIA RADICE FL  
 ERGASTIUM SYMBLITIS HERB. T. LXXXVIII. I. XII

Viridibus...  
 radice fibrosa Tournefort



Æstate floret, Bermudianis Insulis, ut fertur, originem debens, unde nomen imposuit *Tournefortius*, qui hujus speciei flores & vascula satis bene, nisi quod maculæ exteriori parte conspicuæ calycis figuram nimis imitentur, expressit in *Inst. Rei. Herb. Tab. 208.* figura autem *Plukenetii Phyt. Tab. 61. n. 2.* tam quoad flores, quam quoad reliqua parum ipsi plantæ respondet, quare operæ visum fuit pretium & figuram novam, & descriptionem, quæ adhuc defuit, exhibere. Ceterum *Plukenetio* dicta fuit:

Iris phalangoides Bermudiana, flore parvo, ex cæruleo & aureo versicolore *Alm. p. 198.* & Sisyrrinchium Bermudense floribus parvis, ex cæruleo & aureo mixtis *Alm. p. 348.* sed non admodum parvi sunt flores, nec cærulei dici merentur. Quod nomen posterius & figura *Plukenetii* transcribuntur in *Campo Elys. Rudb. L. 2. p. 12.*

**BERMUDIANA GRAMINEA, FLORE MINORE**  
CÆRULEO T. XLI. F. 49.

**P**LANTA est palmaris, dodrantalis & pedalis, foliis versus radicem complicatis & vaginatim velut in præcedenti specie exeuntibus, qua parte vero a se invicem abscedunt, vaginata fissura oblitteratur, suntque folia compressa striata, utrinque sibi similia, saturanter viridia, consistentia graminea prædita.

Caulis folii naturam servat, nec ab eo differt, nisi quod nonnihil firmior sit & nervum secundum longitudinem procurrentem obtineat, & quod in summitate bifariam dividatur, e cujus fissura flores aliquot successive prodeunt, pediculis tenuibus teretibus hærentes, nudi, hexapetali, rosacei, coloris cærulescentis, præterquam in basi, ubi laciniatis lituris ex herbaceo flavicantibus picti sunt. Ceterum flores, licet teneri sint, ephemeri tamen non sunt, sed singuli bis terve explicantur, similiter ac prioris, & petala tria interiora tribus exterioribus nonnihil angustiora habent, utraque vero non tam repente, sed lentius in cuspidem longiusculam desinunt, striis paucioribus, singula nempe singula striata, eaque versus basim tantum notata, colore parte exteriori eodem cum interiori.

Floribus evanescentibus vascula subnascuntur subrotunda, obtuse trigona, in tria ioculamenta, semina subrotunda continentia, divisa, quæ sub Auctumnum maturescunt, flores autem Junio & Julio mense comparent.

Hujus figura non minus, quam præcedentis, vitiosa exhibita fuit a *Plukenetio Phyt. Tab. 61. n. 1. ubi* & in *Alm. p. 348.* Sisyrrinchium cæruleum parvum, gladiato caule Virginianum dicitur, cujus figuram & nomen retinuit *Rudb. Camp. Elys. L. 2. p. 12.* Gladiolum cæruleum hexapetalum, caule etiam gladiato vocavit *Banist. in Cat. Stirp. Virgin. recitante Plukenetio & Rajo Hist. Plant. Tom. II. App. p. 1928. & Tom. III. p. 560. n. 6.* ubi breviter describitur.

Ne autem nomina multiplicentur, retinendum est Bermudianæ nomen *Tournefortii*, licet hæc species in Virginia, ea vero, quæ Palmæ folio, radice bulbosâ dicitur, in Insulis Americæ calidioribus nascatur, & plures sint nondum descriptæ species, quæ ad Promontorium Bonæ Spei, & in aliis regionibus nascuntur, v. gr. quæ a *Feuillée*, regni Chili indigenæ, enumerantur, nempe Bermudiana cærulea, Phalangii ramosi facie *Obs. Tom. II. p. 715. Tab. 8.* Bermudiana bulbosâ, flore re-



flexo caruleo *Obs. Tom. III. p. 8. Tab. 3.* & Bermudiana Narcisso-Leucoji flore *Ejusd. Ibid. p. 9. T. 4.* ut non memorem hujus generis speciem, nomine Sifyrinchii ramofi Æthiopici, foliis plicatis nervosis & incanis, radice tuberosa phoenicea a *Breyn. in Cent. Exot. Plant. p. 85. 86. Tab. 37.* descriptam & depictam, & quasdam a *Plumiero* pictas, non scriptas, in Insulis Americanis Gallicis nascentes species, nempe Bermudianam junceo caule altissimo & Bermudianam amplissimo folio.

**BETONICA MARITIMA, FLORE EX LUTEO  
PALLESCENTE** TOURN. INST. R. HERB. P. CCIII. T. XLII.  
F. 50.

**Q**UONIAM nec descriptio, nec figura hujus plantæ bona prostat, operæ me facturum pretium speravi, si eam paullo curatius describerem & depingerem. Perennis est planta & caules profert ex radice oblonga, crassiuscula plures aliquosque reclinos, superiora versus in ramos aliquot laterales abeuntes, in quibus florum verticilli, ut in aliis hujus generis, & folia his subjecta decussatim per intervalla sibi respondent, superius minora, inferiora versus sensim majora, viridia, hirsuta & rugosa, inter *Salviæ* & *Betonicæ* folia ambigentia, ad radicem obtusa & fere subrotunda.

Ex floris figura recte *Betonicæ* generi *Tournefortius* annumeravit hanc plantam, nam labium superius elatum & plerumque bifidum est, nonnihil fornicatum, inferius autem in tres partes sectum, segmento medio latiore & bifido, ut in *Betonica* plerumque contingit. Ceterum lateralia segmenta angusta sunt, levi incisura divisa. Floribus color ex luteo pallidus est, segmento superiore seu galea magis albida, quam labio inferiore, quod magis lutescit & versus gulam exiguis quibusdam striis & punctis purpurantibus variegatum est; labium etiam superius prope gulam juxta stamina utrinque maculam habet oblongam, purpurascentem. Sole *Geminos* tenente floruit.

Missâ fuit hæc planta sub dicto *Tournefortii* nomine, nec dubitamus, quin sit vera planta. *Tournefortius* autem hujus synonymam facit, *Sideritidem Heracleam latifoliam Dioscoridis, sive Sideritidem marinam salvifoliam Donat. de Simpl. Mar. p. 84.* Si *Donatus*, quod videtur, eandem nobiscum intelligat plantam, fateri oportet figuram ipsius esse valde vitiosam; sane verticilli floresque pessime sunt expressi, referuntque potius *Leucoji* cujusdam, quam *Sideritidis* flores. Descriptio ipsius utcunque bona est & nostræ plantæ respondet. *Parkinsonus* *Herbariorum* ante se diligens compilator, una cum nomine, retinuit & figuram & descriptionem *Donati*, quam latinam fecit *Rajus Hist. Plant. Tom. I. p. 556. n. 17.* sicuti ille illam ex *Italico* fecerat *Anglicam*. Hanc descriptionem verbis *Rajanis* recitavit *Bobartus Hist. Ox. Part. III. p. 388. n. 7.* Observandum autem *Bobartum* huic eandem facere, *Sideritidem Salviæ folio Anguill.* quæ prima *Ejusd. p. 256.* & *Sideritidem Heracleam Col. Ecpbr. P. I. p. 131. ic.* *Sideritidem primam Dioscoridis. Ejusd. Ibid. p. 128. descr.* Ego, ut *Anguillaræ*, qui breviter describit, plantam eandem concesserim, sic nego *Columnæ* speciem eandem esse; longe nimis & figura, & descriptio a nostra recedit. Dicit enim *Columnæ* folia suæ esse incana, & flores purpurascentes



P.50.

F.50.

T.XLII.



*Betonica maritima, flore ex luteo  
palescente* Tourn.





*Bidens latifolia hirsutior.* semine angustiore, radiato.



purascentes. Folia in icone quidem respondere videntur, at flores longe minores sunt, segmento medio inferiore integro, superiore magis falcato & in dorso seu parte superiore piloso. Quis vero tam accuratum observatorem, quam fuit Columna, existimet vel alienum flori colorem adscripsisse, vel maculas floris non advertisse, vel demum alienam flori figuram affinxisse. Figuram Bobarti quod attinet, ea nullius omnino momenti est. Particula est Sideritidis quartæ *Clus. Hist. XL.* & habetur *Sect. XI. T. 4. f. 7. ser. 3.* pro Sideritide *Salviæ folio Anguill.* Porro Sideritidem *Salviæ folio Donati* breviter describit *Bocc. Mus. Part. II. p. 164.* & figuram ejus, natali loco lectæ plantæ, quam ab ipso Boccone habuit D. Guil. Sheppardus, respondentem exhibuit *Tab. 127.* Verum cum specimen fuerit strigosius loco steriliore natum, in quo verticilli in unum congesti, nec flores rite expressi sint, has partes nostra figura clarius exprimere volumus. Atque hi sunt Auctores, qui vel figuram vel descriptionem hujus plantæ dederunt; nominatenus ea memoratur ab *Hoffmanno in Del. Hort.* Sideritidis marinæ seu Venetæ titulo, & a *Magnolo Char. Plant. p. 86.* Lamii vel Sideritidis marinæ *Salvifoliæ Donati* nomine.

**BIDENS LATIFOLIA HIRSUTIOR, SEMINE  
ANGUSTIORE, RADIATO T. XLIII. F. 51.**

**B**ICUBITALI & tricubitali nascitur altitudine, caule digitum inferius crasso, quadrangulari, striato, plures ab imo ramos conjugatos in latera spargente, quadrangulares, virentes, aut leviter, exterius nempe, qua Solis radiis illustrantur, e nigro rubentes, pilis obsitos, quibus ad genicula folia adnascuntur lobata, Bidentis Canadensi latifoliæ, flore luteo *Tourn.* similia, sed dentibus minoribus & obtusioribus incisa, magis etiam hirsuta, pilis non tam in marginibus, quam per superficiem, præsertim inferiorem, locatis, superne saturanter viridia, inferne nonnihil pallidiora.

Flores in caulis & ramorum parte superiori nascuntur parvi, lutei, non radiati, e flosculis tantum exiguis quinquefidis constructi, quos semina sequuntur longa gracilia, compressa, striata, nunc bi-nunc tri-nunc quadridentata, denticulis asperis, seu spinulis reflexis obsitis, per maturitatem nigricantia, & radiatim quaquaversus expansa, instar Bidentis Americanæ, Apii folio *Tourn.* cui & seminum figura similis, at foliis longe ab illa diversa. Calyces simplices e pluribus foliolis virentibus appressis, per margines pilosis, constant, hinc circulus sequitur squamarum oblongarum, e viridi obsolete flavescens, semina continens in capitulum oblongum strigosum digesta, quibus singulis singula squama apponitur sensim angustior, donec ea ad maturitatem perveniant, ubi dilabuntur, ipsa vero semina radiatim undique versum porriguntur: in vulgari autem Canadensi specie semina talem in modum non explicantur, sed parum hiantia decidunt, squamæ vero aliquamdiu remanent, & sunt præterea semina latiora & breviora, non nigra, sed subfusca, subhirsuta, duabus tantum aristis, minus conspicue (per vitream lentem tenuiter) spinosis terminata. Porro illius caules undique atro-rubente colore semper tincti sunt, capitula crassiora sunt & obtusiora, calyx autem longior seu magis foliosus est & radiatim expansus, prout figura marginali quinta & sexta demonstratur, sep-



septima vero flosculi, qui nunc quinquefidi, nunc & plerumque quadrifidi in hac specie sunt, octava squamæ exteriores, nona interiores, decima semina repræsentantur. Prima autem marginali figura hujus speciei flosculi, secunda squamæ exteriores, tertia interiores, quarta semina seorsum designantur.

Annua est planta, pro sationis ratione ocyus seriusve florens.

*BIDENS NODIFLORA, BRUNELLÆ FOLIO*

T. XLIV. F. 52.

**E**x feminibus Bengalensibus, a P. Collinson communicatis, inter alias rariores, plantæ aliquot palmares & dodrantales natæ sunt, coliculis tenuibus, ex terti angulosis, glabris, ex adverso brachiatis, ad quorum genicula folia erant conjugata parvâ, glabra, Brunellæ similia, per margines subinde obiter & raro sinuata, nunc viridia, nunc obscure purpurea, in medio sulcata, per margines utrinque reflexa, venis obliquis superficialibus exarata. Hæ cito complementum adeptæ sunt, nam Majo, vix duorum a satione mensium intervallo, non tantum flores, sed & semina perfecerunt, & his ad maturitatem perductis mox denatæ sunt plantæ.

Flores autem & semina ad genicula & in divaricationum angulis, in capitulis parvis oblongis sessilibus, e squamis oblongis cuspidatis conflatis, nascuntur: & flores quidem parvi flavi sunt, e flosculis pusillis, nunc quatuor, nunc quinque exiguis lacinis divisus & stylo exili bifido donatis compositi, semina autem, pro plantæ ratione satis magna sunt, compressa, versus basim angustiora, in summitate latiora, duabus ad margines, (utrinque videlicet una) aristis longioribus, in medio vero, ubi flosculus hæret, duabus porro (utrinque nempe una) aristis brevioribus, terminata. Ceterum semina ad margines & aristæ pilis rigidis, ceu aculeis, reflexis asperatæ sunt, id quod præcipue in majoribus aristis observabile est. Figura prima & tertia flosculi quadrifidi, secunda & quarta quinquefidi, quinta & sexta semina repræsentantur.

Ante vero quam ad aliarum specierum descriptionem progrediar, de nomine & divisione hujus generis quædam annotare non alienum erit. Varia enim sortitum est nomina, & primum quidem Gesnerus Bononiæ vulgo Forbesinam (procul dubio a forficibus hiantibus, qui Italis *forbici* & hinc Forbicinam ab Italis colonis hodieque vocari testatur Pontedera Dissert. Botan. X. p. 247.) refert dictam de Hort. Germ. fol. 259. in Append. vero Ejusd. Horti fol. 296. Verbesinam incerto auctore nominat, a foliorum, ut putat, aliqua cum Verbena similitudine, quod nomen cum Gesnero retinuit J. Bauhinus & nonnulli alii.

Dein Bidentis nomen introduxit Cæsalpinus: "quædam, inquit, de Plantis Lib. XII. C. 17. locis humectis & fere in aquis nascitur, foliis tripartito divisus: "capitula in cacuminibus fert pauca, stellata flore luteo; semina includuntur valde compressa & oblonga, in duos aculeos desinentia, unde Bidens vocetur. Philosopho dicto audiens fuit Tournefortius, nam & nomen & genus plantæ in suas Rei herbariæ Institutiones retulit, quæ causa est, quod appellatio ista apud plerosque invaluerit. Enimvero licet Bidentis species pleræque semina gerant pluribus duabus, si accuratius examinentur, aristis armata, tamen cum duo

præcipue









*Bidens nodiflora, folio Tetrahit.*



præcipue laterales & longiores aculei conspicui sint, si minus usitatum Forbescinæ, eadem derivationis difficultate pressum, vel Verbesinæ, minus apte comparatum nomen displiceat, hoc, Bidentis nempe, retineri, id vero, quod præter plura alia supervacanea confinxit Vaillant Comm. Acad. R. Scient. A. 1720. p. 525. Ceratocephali nempe nomen, quoniam nec melius, immo nec æque bonum, minime autem necessarium est, explodi meretur.

Porro cum genera plantarum præter necessitatem multiplicanda non sint, minime assentiendum Pontederæ Dissert. Bot. X. p. 247. Bidentes facienti, quibus flores nudi sunt, Forbescinas vero, quarum flores radio cinguntur, quod & ante eum eadem de causa fecit Knauth Meth. Plant. p. 128. 129. illas Cannabinas, has Bidentes appellans. Quid enim in herbis flore composito præditis magis est vulgare, quam flores in eodem genere infimo nunc radiatos, nunc nudos observare v. gr. in Camomilla, in Matricaria, in Bellide, Jacobæa, Senecione & aliis?

### BIDENS NODIFLORA, FOLIO TETRAHIT

T. XLV. F. 53.

**P**rimo, quo nobiscum planta hæc nata fuit, anno dædrantali tantum erat & pedali altitudine, caulibus teneris teretibus, virentibus, foliis minoribus vestitis, sequentibus vero annis ad sesqui & bicubitalem altitudinem crevit, caules subfuscus crassiores, folia majora & magis rugosa (cujusmodi folium seorsum figura marginali prima appictum est) acquisivit & florum capitula plura juxta se nascencia protulit.

Tetrahit comparo hujus speciei folia, intelligo autem plantam, quæ Urtica aculeata foliis ferratis dicta olim fuit *C. Baubino*, quam a Galeopfidis genere, quo refert Tournefortius, non una de causa recido. Huic foliis proxime accedere videtur, nisi quod in Tetrahit venæ obliquæ crebriores sint. Nempe folia oblonga sunt, integra, per margines crenata, subhirsuta & pilis brevibus, qua lux incidit, præsertim conspicuis, obsita, nervo medio distincta, a quo prope basim duæ venæ præcipuæ, velut in Corona Solis fieri solet, & aliæ inde minores minusque conspicuæ progrediuntur, colore prædita simpliciter viridi superne, inferne vero nonnihil pallidiore.

Flores in caulibus & ramorum summitatibus nascuntur plures sessiles, seu absque pediculis hærentes, quibus evanescentibus ramuli elongantur & alios flores in extremitatibus proferunt, capitula vero priora ad foliorum alas seu nodos glomeratim hærent, oblonga, ob seminum aculeos exstantes pungentia, e pluribus squamis sibi impositis constructa, quæ per maturitatem a se invicem abscedunt & paleacea capitula efficiunt. Talismodi capitula ramulus figura secunda exprimit.

Ceterum flores parvi lutei radiati sunt, & septem octove semiflosculis, extremo margine leniter divisus, constant, flosculos minutos paucos, in quatuor & quinque laciniolas sectos, circumstantibus, quos calyx ambit, e quinque, sex & septem foliolis virentibus (ad seminum maturitatem obsolete e fusco flaventibus) squamatim sibi impositis constructus, & ab his similia foliola exsucca candida angustiora exeunt,



flosculis interspersa. Semina tum semiflosculis, tum flosculis subjiciuntur, sed duplici figura prædita; illa quidem latiora & magis compressa sunt, præter duas aristas superiores aliis quibusdam marginalibus brevioribus armata, hæc vero graciliora sunt, duabus tantum in summitate aristis longioribus, cum intermedia brevioribus & vix conspicua prædita. Figura marginalis tertia semiflosculis subjecta semina, quarta flosculum & semen naturali, quinta aucta magnitudine, sexta semen matuum, septima calycis foliola, octava squamulas feminibus interspersas demonstrant.

Annua est planta, pro sationis & tempestatis ratione serius aut citius florens: Sponte nascitur in Insulis Americæ calidioribus.

Dicitur Chrysanthemum conyzoides nodiflorum, semine rostrato bidente *Swan. Cat. Fam. p. 126. Hist. Vol. I. p. 262.* cujus figura exhibetur *Tab. 154.* sed sine floribus, nec crenæ foliorum satis exprimuntur: Ceratocephalus nodiflorus, Coronæ Solis foliis minoribus *Vaill. Comm. Acad. R. Scient. A. 1720. p. 327. n. 9.* Hucacou Caraibæorum *Surian. Hort. Sicc.*

*BIDENS SCABRA, FLORE NIVEO FOLIO PANDURÆFORMI T. XLVI. F. 54.*

**P**LURES aliquot ex eadem radice emittit caules rectos, indivisos, cubitalis tantum & sesquicubitalis, cum planta primum in fictili curatius servaretur, altitudinis, dein vero in solo libero plantata lætius surrexit & tricubitalem altioremque altitudinem æquavit, caulibus rigidis, asperis, cannulatis, seu quatuor sulcis secundum longitudinem inscriptis, angulis obtusis & subrotundis, cannulæ instar protuberantibus.

Folia ad singula genicula in oblongis pediculis nascuntur satis magna, oblonga, triangula, & ad angulos Panduræ instar sinuata, per margines dentata, rugosa valde & aspera. Quæ folia palmari & sesquipalmari ab invicem distantia locantur & modice pendent, vel horizontalem saltem situm obtinent, cumque sat longe ab invicem distent, & in alterutram subinde partem propendeant, fit ut situs eorum decussatus non æque, ac in aliis speciebus, observabilis sit.

Summi caules in paucos aliquot ramos & pediculos ex adverso dividuntur, quibus flores innascuntur pulchri visu; capitula nempe sunt grandiuscula, Scabiosæ non absimilia, præsertim ab initio, quo tempore flores juniores tincturam aliquam rubedinis habent, posteaquam vero capitula justam magnitudinem adeptæ sunt, flores sunt candidissimi, vagina autem stylos cingens atra penitus est; & quoniam styli sunt majusculi, recurvi, prominentes, vagina autem e flosculis etiam prominet, tum ob crebra cornicula, tum ob tubulorum nigredinem florum candori permixtam elegantem de se speciem præbent flores, licet radio destituti sint. Et flores & semina crebras squamas cuspidatas interspersas habent. Semina autem duobus pilis vel aristis in summitate armantur, & de Bidentis genere plantam esse testantur. Calyces e squamis rigidis virentibus conflati sunt.

Seorsum figura prima totus flos, secunda flosculi & semina, tertia squamæ flosculis & feminibus interpositæ exhibentur.

Sero & Octobri demum mense floret hæc species, orta cum sequentibus ex seminibus e Carolina transmissis.

Non





*Bidens scabra flore niveo, folio panduræformi.*





*Bidens scabra flore niveo, folio trilobato.*



Non memini quenquam ejus fecisse mentionem, nisi sit Ceratocephalus foliis cordatis seu triangularibus, flore albo *Vaill. Comm. Acad. Reg. Scient. Ann. 1720. p. 327. n. 10.* Non videntur autem bene concordare folia cordata & triangularia.

*BIDENS SCABRA, FLORE NIVEO, FOLIO  
TRILOBATO T. XLVII. F. 55.*

**C**AULES hujus præcedenti plane similes, nisi quod nonnihil altius assurgant. Folia etiam similia textura & superficie, figura autem in eo diversa, quod versus basim profundius & acutius sinuata sint, & quod utrinque in alas longiores producantur. Ceterum asperitas, quæ in hac & præcedenti specie eminenter observatur, a crebris pilis rigidis, sed perbrevibus & vix conspicuis procedit. Flores globosi sunt, illius instar, basim vel pediculum versus contracti, in superiori parte diducti, toti nivei, nam licet utriculos fariniferos stylos succingentes habeant nigros, ii tamen e flosculis non surriguntur, sed in basi eorum delitescunt, sive id natura ita se habeat in hac specie, sive ex accidenti contingat, nam perquam sero & menstruo spatio, Novembris nempe initio, post præcedentem floret, nimirum in Hibernaculo curate servata flores dedit, in solo autem libero adhuc denegavit, unde fieri potuit, ut ex aeris liberioris & caloris defectu floribus rite perficiendis minus suffecerit planta, quamvis læta & robusta esset, flores autem satis ampli & formosi essent. Ceterum florum cornicula seu styli, quam prioris, nonnihil graciliores videbantur. Et hæ sunt differentiæ, quas in hac specie observare potui, quarum præcipua est, quæ in foliis hæret: Neminem autem dubitare velim, quin vere diversa a præcedenti species sit. Perennis est planta præcedentis speciei instar.

Flosculi cum feminibus seorsum, & squamæ flosculis interpositæ in margine figura prima & secunda appictæ sunt:

Est & alia species, caule, capitulis & asperitate præcedentibus similis, sed foliis valde diversa, ceu quæ Urticæ vulgari similia sunt, cujusmodi folium figura marginali tertia differentiæ monstrandæ ergo appictum est.

*BIDENS SUCCISÆ FOLIO, RADIO AMPLO,  
LACINIATO T. XLVIII. F. 56.*

**C**AULES ex eadem radice nascuntur plures, reclinati & humo aliquousque incumbentes, inde vero ad sesqui & bipedalem usque longitudinem oblique assurgunt, geniculis aliquot, non longe ab invicem distantibus, basim versus præditi, ad quæ folia ex adverso nascuntur oblonga, & ex iis aliæ quædam foliorum minorum conjugationes prodeunt, florum autem pediculi e mediis geniculis prælongi, ad dodrantalem nempe & pedalem longitudinem protenduntur, teretes, glabri, quibus sub auctumnum flores innascuntur ampli flavi, quorum radius e semiflosculis pluribus (octo novemque) latis, in quatuor plerumque laciniis, quarum mediæ lateralibus longiores sunt, dissectis constat, discus autem e flosculis



flosculis componitur similiter flavis, parvis, in quinque acutas lacinas divisis, quibus plurimæ squamæ tenues & transparentes interpositæ sunt.

Calyx floris duplex est, exterior nempe in octo novemque viridia crassiora, radiatim expansa, foliola ad basim usque dividitur: interior e totidem foliolis aliquanto majoribus, tenuioribus & transparentibus, ochrei pallidioris coloris, constat, surrectis & flori appressis.

Semiflosculi licet feminibus infideant, nullo tamen stylo visibili gaudent, nec ad maturitatem eorum embryones, secus ac in plerisque Compositis floribus fit, pervenire solent. Ceterum femina, dum planta floret, brevia sunt, plana & compressa, brevibus utrinque aristis prædita, per maturitatem vero aliam formam induunt; intumescunt enim & parte exteriori convexa, interiore cava fiunt & non-nihil convoluta, transversis parte inferiore & superiore protuberantiis interne clausa, dorso exteriori protuberante rugoso, margine vero foliaceo utrinque cincta, coloris e fusco purpurei, aristis eo tempore brevioribus & contractis, apiculo inter eas, ceu tertia & intermedia arista, prominulo, cornicula insecti repræsentantibus, quin & totum semen æmulam insecti, velut Scarabæi minoris hemisphærici, vel, si mavis, cimicis figuram refert.

Folia ad radicem plura sparguntur, spissa glabra, venis vix conspicuis prædita, Succisæ, præsertim ab initio, similia, utrinque viridia. Quæ folia licet glabra sint, per margines tamen, media potissimum in caule folia, & in inferiore sua parte pilosa observantur. Quin & foliis subhirsutis sæpe variat hæc planta, & sub hoc statu non tantum figura, sed & superficie Succisæ foliis respondet, sub illo vero statu ob spissitudinem & lævorem Tripolii foliis non absimilis est: Florum tamen pediculi semper glabri sunt. Folia gustata calida percipiuntur, fere instar Virgæ aureæ.

Nata fuit e feminibus Carolinensibus, & cum primum nobiscum (anno 1725.) floreret, flores gerebat inæquales, & minus pulchros, semiflosculorum marginibus reflexis, extremitatibus contortis, varie laciniatis & veluti laceris: Sequentibus annis cælo nostro assuetior flores dedit pulchriores & magis regulariter expansos, semiflosculis amplioribus & magis planis. Biennis triennisve planta.

Separatim figura prima semiflosculi, secunda flosculi, tertia squamæ, quarta femina fere matura parte exteriori, quinta eodem situ plene matura, sexta eadem partem interiorem monstrantia exhibentur. Immatura sub semiflosculis & flosculis sunt. Figura septima octava & nona folia inferiora glabra & hirsuta appicta sunt.

Videtur esse planta, quam Chrysanthemum Marianum Virgæ aureæ Americanæ foliis, florum petalis tridentatis vocavit *Pluken. Mant. p. 46.* nempe si intelligamus Virgam auream Mexicanam *C. B. Pin. App. i. e.* Virgam auream Limonii folio, panicula uno versu disposita *Hort. R. Par.* cujus folia nostræ plantæ, ubi glabra, non absimilia. Forte etiam *Bidens Carolin.* foliis integris *Pet. Hort. Sicc. n. 24. Raj. Hist. Plant. Tom. III. App. p. 242.*